MAT. CASIM. SARBIEVIUM,

LYRICORUM sæculi superioris POËTARUM facile PRINCIPEM, magnam gloriæ Poëticæ partem ŁUBIENSCIIS debere. Quare hodie quoque POLONARUM ACADEMIARUM LITERATIS VIRIS, qui præsertim Sarbievium æmulari velint, eorundem ŁUBIENSCIORUM, in primis vero CELSS.

VLADISLAI
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS
PRIMATIS REGNI,
ac M. D. L. PRIMIQUE PRINCIPIS

GRATIAM ET BENEVOLENTIAM AMBIENDAM ESSE

Lesniewski Fr.

DEIPHILI JSMARIENSIS PASTORIS ARCADIS

ODE.

1986 I

COLLEGIUM LEOPOLIENSE SOCIETATIS JESU
EIDEM. CELSS. PRINCIPI.
D.D.D.

◆◆)(o)(◆◆

LUBIENIANÆ Navita Gloriæ, (a)
Iture, non quâ Tiphys iit plagâ
Spumantis Ægei, ſed Aſtra
Pieriâ ſubiture cymbâ;

Quam præſtitiſti polliciti fidem,
Eſt magna certe: reſtat adhuc tamen
Præſtanda maior pars, & ævo
Remigium tibi creſcet omni.

Aſtris vetuſtos rite ŁUBIENIOS
Thalia felix inſeruit tua;
Heroas ac inter, Deosque,
Grande decus, medios locavit.

At quanta Magnis Progenies Avis
Succeſſit, Aſtris digna rogantibus!
Illîs Equeſtris fulget Ordo, et
Purpureus radiat Senatus!

Quæcunque Patrum nobilis indoles
Prævit altis inclyta paſſibus;
Veſtigiis hærens iisdem
Poſteritas ſequitur Nepotum.

Eſt

bt.

Est bellicosâ Martius indole
In arma flagrans pro Patria vigor:
Sunt Pacis artes: sunt Minervæ:
Est & honos Pietatis ingens.

Hos magne Vates deseris immemor?
An, præstet alter polliciti ut fidem,
Famæque successor, Lyræque
Sarbieviæ, Lechicus Pòëta,

Hoc multus optas? Sic ego: pluribus
Cum se rogari non patiens, Polo
Effulsit altus, præbuitqué
SARBIEVIUS mihi se videndum.

Sublimè pennas hunc Zephyri super
Pendêre vidi cæruleâ Poli
Plagâ coruscantem, audiique hoc
Ad citharam cecinisse carmen.

„ ŁUBIENIANÆ laudis adoream
„ O! ferte Coelo! ferte domesticâ
„ Tubâque Lechæi Pòëtæ,
„ Ferte boni socii lyrâque.

Est,

„ Est, cur id optem. Nempe ŁUBIENIUM
„ Imis medullis hæret adhuc mihi
„ Quàm dulce nomen! quàm süave!
„ Quanta mihi ob benefacta carum!

„ His & Pòëtæ debeo Gloriam,
„ Quàm luculentam, sæcula, Gloriam!
„ Ut hanc amarem, quas facesque
„ ŁUBIENIUS, stimulosque quondam

„ Admovit acer! Quod mihi, calcar is,
„ Unâque campus qui fuit, & seges,
„ Ambire Cœlum dum cohortans,
„ Alipedem iubet ire Vatem!

„ Te! Te ŁUBIENI, dulce decus meum, et
„ Cliens Patronum, & Te memoro Patrem!
„ Te STANESILAUM Plocensi
„ Pontificem celebrem Tiarâ. (b)

„ Quicunque nostris incaluit fibris
„ Ardor Poëtæ, nobilis & furor,
„ Illius instinctor, satorque
„ Immo mihi fueras Apollo. (c)

At

„ At Vos, Parentis Pignora Lechiæ,
„ Spes Literatæ maxima Lechiæ,
„ Polona Pubes, huc adeſte, et
„ Sarbievii monitis apertam

„ Aurem admovete. Hoc Sarbievius monet,
„ Hoc ſvadet. Altæ ſemita Gloriæ
„ Quemcunque delectat, pudentem
„ Serpere humi pavidum, ac inertem,

„ ŁUBIENIANIS, eia! favoribus,
„ ŁUBIENIANIS, aſſecla, gratiis,
„ Obrepat inſonti piaclo:
„ ŁUBIENIOS colat & Patronos.

„ Hic quem SACRORUM, conſcia, Maximum
„ Et quem SENATUS Lechia PRINCIPEM
„ Colit Paterni, PATRIÆQUE
„ PATREM amat, ac veneratur, hic eſt.

„ Et Literarum prima ŁUBIENIUS
„ Spes, atque Vindex, ac ſtator inclytus,
„ Et Literatorum Corona;
„ Dignum Atavis, Proavisque Germen.

(a) *Sarbievium auctor alloquitur, premitque veſtigia elegantiſſimæ allegoriæ, quam idem Sarbievius omnibus artis coloribus pinxit in ea Ode, quæ præfixa Operibus Poſthumis* STANISLAI LUBIENSKI *Epiſcopi Plocenſis, inter alias duas media, ita incipit*

Quondam revinctus Palladia caput
Sacrum coronâ, carus Iaſonis
Vates &c.

tum perſtricta obiter Argonautarum fabella, pergit:

Sic vos (aviti laurea verticis
Quos fronde prisca cingit imaginum)
ŁUBINIDÆ Magni Nepotes,
Pieriam ſubiiſſe mecum
Gaudete cymbam, protinus aviis
Sulcanda remis nubila: protinus
Lunæque, ſtellarumque, & altis
Littora ſunt ſubeunda velis.
Nam qualis Orphêus Argolicam polo
Fixit carinam; non aliter mea
Vos inferet cœlo Thalia
Pectine non facili canendos. &c.

(b) *Quantâ hic Illmus Pontifex complexus benevolentiâ ſit Sarbievium, vel è dicti Poſthumis Pontificis ejusdem Operibus, Antverpiæ apud Meursium,* M. DC XLIII. *editis, abunde liquet. Nam præter memoratas Sarbievianas tres Odas,, illi editioni præfixas, præterque Sarbievii epiſtolam, ad ſuperſtitem quondam Auctorem datam, ipſiſque Odis præmiſſam, ad calcem præterea dictorum Operum, in tribus Epiſtolarum Decadibus, Sarbievii quidem ad Illmum Auctorem ternæ, Auctoris vero ad Sarbievium ſenæ extant literæ, mira cùm benevolentiæ in Patrono, tum ſtudii obſequiique in cliente, ſignificatione inſignes.*

(c) *In prima Sarbievii ad Pontificem iſtum epiſtola, quam Odis eſſe præfixam iam diximus, hæc ſunt verba* - Illa *(ſcilicet Virgo DEI Mater]* mihi á puero ſtudiorum Præſes, Tu judex, & arbiter, & aliquot jam annos præcipuus hortator atque inſtinctor ... *& ad calcem epiſtolæ*, ſed maxime TIBI debeo APOLLINI MEO, qui . . . .